Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nummotheca Principum Austriae

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

Herrgott, Marquart

Friburgi Brisgoviae, 1752

[Text]

urn:nbn:de:bsz:31-241470

Visual Library

flictas, omni ſtudio iuverunt (37.), ac miſſo etiam anno 1614. iuſto exercitu egregie vindicarunt reſtitueruntque (38.). PROLES PHILIPPI II.

Inſignem quoque pietatem tum exhibuit ALBERTUS, quando ampliſſimorum regnorum hereditatem, quæ poſt mortem MATTHIÆ Aug. fratris ſui ad ſe redierat, (42.) FERDINANDO II. Imp. ultro ceſſit, eidemque poſtea ab acerrimis hoſtibus undique preſſo, auxilium opportuno tempore fideliter tulit (43. 45.).

Hæc aliaque cum præclare agerent Archiduces, ALBERTUS morbo, quocum diu conflictatus erat, anno 1621. die XIII. Iulii diſſolutus eſt, ſolemniſſima pompa XII. Martii, anni inſequentis Bruxellis ſepultus. (48.)

Pro ſymbolo *gladium* elegerat, ramo laureo circumligatum, addito lemmate: PVLCHRVM CLARESCERE VTROQVE (48.).

Vix dum ALBERTUS vitam poſuerat, quum ISABELLA, abiecto ornatu Principali, habitum religioſum induit (47.), tertio S. Franciſci Ordini, anno inſequenti, adſcripta. Annos deinde duodecim adhuc ſuperſtes, variamque belli aleam cum fœderatis Batavis experta, anno 1633. die XXIX. Nov. feliciter obiit.

In utroque nummorum genere tam mnemonicorum, quam uſualium, qui hic maximam partem prioribus admixti ſunt, utriusque cum nomen tum effigies iunctim comparent; quippe quibus in provincias Belgicas æquale ius erat (26.). Id ipſum vero in cauſſa eſt, cur amborum nummos, etſi ALBERTUS e ſtirpe Habſburgica, in Germania propagata, deſcendat, una hic repræſentemus. KHEVENHÜLLER *Ann.* FERD.

Poſt hos ſequuntur duo nummi iconici (58. 59.), aut unicus potius, bis depictus, CATHARINÆ. Hæc PHILIPPO II. ex ELISABETHA, ſeu ISABELLA *Francica* anno 1567. X. Octob. genita, ac anno 1584. CAROLO EMANUELI Sabaudiæ Duci (58.) nupta, ſeptem liberorum mater extitit, atque anno 1597. diem obiit. *Idem.*

CAROLUS PHILIPPI II. FILIUS.

I.

Tab. XXXVII. CAROLVS P.*hilippi* F.*ilius* HISP. (*Hiſpaniarum*) PRINCEPS ÆT.*atis* AN.*no* XII. Protome CAROLI armata, faſcia ſeu paludamento ab humeris pendente, dextra exerta, qua parazonium tenet, capite nudo, dextrorſum verſo. Inferne ſub brachio eius ſiniſtro adſcribitur nomen artificis F. POMP. & nota chronologica 1557.

In poſtica APOLLO ſeminudus adverſo corpore ſtans, dextra extenſa, tres GRATIAS, ſeu CHARITES, ſuſtinet, ſiniſtra pallium colligens, arcum & ſagittas tenet. Pro pedibus a ſiniſtris lyra eius ad truncum arboris reclinata, a dextris in proſpectu arbores viſuntur. Additur in peripheria lemma: IN BENIGNITATEM PROMPTIOR.

Hoc numiſma manſuetos CAROLI mores non obſcure exprimit, qui ſcilicet *in benignitatem* prom-

PROLES PHILIPPI II.

promptior pronιorque ſit, quam in vitia, eidem virtuti oppoſita. Sed falſo, ut opinor, cum omnia alia nobis perſuadeant, qui eius vitam perſcripſerunt. Neque etiam pravos, quibus multos offendebat, mores, primum poſt annum ætatis duodecimum, quem nummus præfert, induit; ſed ſtatim a prima iuventute non pauca ingeniii, male conſtituti, dedit indicia. *Ferox ac violentum* (ait Rev. P. STRADA)
a (a) CAROLO *ingenium fuit. Idque ſtatim a pueritia obſervatum: quum oblatos interdum ex venatione lepuſculos ſua iugularet ipſe manu: eorumque aſpectu palpitantium exſpirantiumque frueretur.* Et poſt pauca: *Idque perſenſit avus* CAROLUS *Imp. quum e Belgio, abdicatis regnis, in Hiſpaniam reverſus, inſpecto nepotis (erat tunc annorum undecim) ingenio atque educatione, vehementer indoluit.* Erit igitur huius numiſmatis occaſio, quæ non nullis antiquis eſſe ſolebat, in quibus maximi nonnunquam Tyranni: PATRES PATRIÆ vocati, atque ab *æquitate, iuſtitia, conſtantia, fide, indulgentia, liberalitate, moderatione, clementia, concordia, pietate* aliisque virtutibus, cum omnibus vitiis dediti eſſent, laudati; immo LIBERTATIS RESTITVTÆ elogio nonnunquam mactati ſunt, cum eam, teſte Illuſt. SPAN-
b HEMIO maxime opprimerent (b); non quod quisquam ſerio crederet, illos magnificis hisce titulis dignos eſſe, ſed quod, iis ſe dignos ut redderent, quam maxime Romani cupiebant, ſperantes *fore aliquando:* uti ſubſequitur laudatus SPANHEMIUS
(c), *ut vel verecundia immeritæ laudis, vel deſiderio pulcherrimi præmii, vel reverentia poſterorum tangerentur.* Pari igitur ratione Princeps adoleſcentulus hoc emblemate admonetur, ut molliores elegantioresque mores ſequatur. *M. Imp. ar. pond. 2. unc. 6. drach.* c

Tab. XXXVII.

II.

Anterior pars eadem quæ præcedens, abeſt tamen æra vulgaris.

Poſterior cum averſa nummi ad MARIAM, CAROLI V. filiam, MAXMILIANI II. Imp. uxorem pertinentis, convenit, quam ſupra Tab. XXVII. num. CXVI. & duobus ſequentibus exhibuimus, cum hoc tamen diſcrimine: quod ibi figura muliebris manu ſiniſtra coronam, hic vero librum teneat. Emblema utrinque ſatis obſcurum eſt. Neſcio autem, an uti laudatis nummis coronationem MARIÆ, in Reginam Bohemiæ, tanquam ex matrimonio, cum MAXIMILIANO II. inito, ſecutam, ſignificari coniecimus: ita præſens quoque de matrimonio, quod ſibi CAROLUS cum ISABELLA *Francica* aliquando obventurum ſecure ſpondebat, exponendus ſit? Tæda certe, quam mulier, ſuper arma incedens, tenere videtur, coniugii ſymbolum eſſe ſolet, & præterea ſatis

(a) de bello Belg. Dec. I. lib. VIII. pag. 213.

(b) Vid. Illuſtr. SPANHEMIUS de uſu & præſt. numiſm. antiq Differt. II. §. II. pag. 93. ſeqq. ſecund. edit.

(c) loc. cit. p. 97.

Tab. XXXVII. ſatis conſtat, ISABELLAM CAROLO noſtro iam ante, quam annum ætatis duodecimum, qui in nummo notatur, ageret, deſtinatam fuiſſe. Quam, cum pater eius anno 1559. per pacis *Cameracenſis* pacta ſibi ipſi deſponſari feciſſet, filius adeo indigne atque impotenter tulit, ut inter ipſas etiam nuptiarum lætitias feſtosque dies, aperte obſtrepere, ſibique a patre ſponſam præripi, adeoque iniuriam fieri, conqueri non dubitaret

a (a) *V. L. T.* I. *p.* 120.

III.

COROLVS PHI*lippi* F*ilius* ÆT*atis* SU*æ* ANNO XIIII. Protome CAROLI armata, capite nudo, dextrorſum verſo.

Etſi CAROLUS Regem patrem cum ob violentum ingenium pridem, tum etiam noviſſime ob nuptias, quas cum privatim, tum publice inſectabatur, denuo graviter offendiſſet: ille tamen paterno affectui, ut vel ſic filium ad meliorem frugem impelleret, aliquid tribuendum ratus, paucis poſt nuptiarum ſolemnitatem hebdomadibus, eundem univerſæ monarchiæ heredem, regni proceribus, eo fine *Toletum* convocatis, ſo-

b lemni ritu declaravit (b). Ea occaſione nummum hunc iconicum prodiiſſe arbitror. CAROLUS enim anno 1545. VIII. Iulii, ut diximus, natus, labente Februario an. 1560. quo hæc peracta ſunt, annum ætatis XIV. agebat, quem quidem numiſma indicat.

Extat in muſeo noſtro ſimilis nummus, fabrefactus ex orichalco atque argento obductus, in cuius averſa protome figuræ muliebris, quæ pulchre compta, ſupra pectus imagunculam geſtat, *Victoriæ gradienti* haud abſimilem, expreſſa deſuper aquila bicipiti. Hunc, cum aliquanto ſerius ad manus noſtras pervenerit, æri incidi haud curavimus, ſed neque adeo lubuit; eo quod, cuius imaginem referat, certo pronuntiari haud poſſit, præſertim cum nulla adſit inſcriptio: quanquam MARIAM, MAXIMILIANI II. uxorem repræſentari, cum ex aquila bicipiti, tum ex reliquo habitu coniiciamus. Præterea fraudem nonnullam ſubeſſe, vel ſaltem averſam partem adverſæ, ſubſecuto tempore, adiunctam fuiſſe ſuſpicamur. Conſtat enim ex duabus laminis, quarum cum poſterior priorem magnitudine excederet, ſupperaddito adverſæ parti margine, ſeu orbe, æquales redditæ ſint. *M. Imp. ar. pond.* 3. *drach. ſine poſtica. M. S. B. æ. deaurat. & ib. ex orichalco, argento obductus.*

PROLES PHILIPPI II.

IV.

Idem prorſus nummus, qui præcedens, niſi quod pluribus ſit cinctus orbibus, quos licentiæ pictoris debemus. *T. H.*

V.

CAROLVS. DEI. GRA.*tia* HISP.*aniæ* PRIN.*ceps*. Protome CAROLI togati, adverſa fronte, & nudo capite, humeris duplicem catenam geſtantis.

CARO-

(*a*) LETI op. cit. Tom. II. ad an. 1560. pag. 300. ſeqq.

(*b*) ibid. pag. 303.

PROLES PHILIPPI II.

CAROLUM anno 1568. XVIII. Ianuarii a patre cuſtodiæ traditum fuiſſe, ſatis conſtat. Quibus autem potiſſimum de cauſſis, ac quo is genere mortis in eadem cuſtodia obierit, haud æque exploratum eſt. R. P. *Famianus* STRADA, cuius auctoritas plurimi habenda, præter averſionem & diſſidium mutuum, quod inter patrem & filium, ob huius corruptam indolem, diu obverſabatur: præcipuam eius rei occaſionem in fugam coniicit, quam CAROLUS ad ſeditioſos Belgas, quorum rebus inconſulte favebat, poſtridie quam caperetur, ſuſcepturus erat: quamque proinde pater, ex conſilio virorum doctrina inſignium, ea ratione occupare decrevit. De genere mortis videbimus Tomo IV. noſtrorum monumentorum, ubi de ſepulcris.

Num hæc porro infelicis Principis captivitas præſenti numiſmati occaſionem dederit, equidem pro certo haud affirmaverim.

Catenæ tamen, quas aureas dicit Cl. VAN LOON, ferreas exiſtimaverim; tum quod annuli earum, præter modum ampli, ferreis magis, quam aureis catenis conveniant; tum quod inter ornamenta CAROLI torques potius aurei velleris, qualem in præcedentibus duobus nummis vidimus, quam ſimplex catena, nulla præterea appendicula conſpicua, quærenda videatur.

Iuvat hanc opinionem PHILIPPI II. ſtudium, filii captivitatem ubique palam faciendi, quam ſtatim, ut peracta eſt, non ſolum in omnibus regni provinciis, promulgari iuſſit, ſed & ſummo Pontifici, ac reliquis Europæ Principibus, & præprimis etiam Imperatrici ſorori ſuæ, per litteras ſignificavit (a); ut adeo mirum non ſit, etiam numiſmate conſignatam fuiſſe. *V. L. T.* I. *p.* 120. a

Tab. XXXVII.

NUMMI
ALBERTI, MAXIMILIANI II. IMP. FILII, ET ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ, PHILIPPI II. REG. HISP. FILIÆ.

VI.

ALBERTVS. D.*ei* G.*ratia* S.*acræ* R*omanæ* E*cclesiæ* CAR.*dinalis* ARC.*hiepiſcopus* TOL.*etanus* ARCH.*idux* AVSTR.*iæ*. Protome Cardinalis, brevi pallio induti, capite nudo, dextrorſum converſo, cum brevibus capillis.

In poſtica parte aquila alis expanſis aræ quadratæ inſiſtit, adiecta perigraphe: DOMINVS MIHI ADIVTOR 1. 5. 9. 5.

Sub anni præcedentis finem a PHILIPPO Belgis ALBERTUS fuerat Præfectus deſignatus; qui iam in Luſitania Regis vice functus fuerat. Profectus igitur in Italiam, & per provincias Genuenſes, Sabaudiæ, ac Lotharingiæ iter faciens (b) die 29. Ianuarii huius anni Luxemburgum venit: die 11. Febr. Bruxellas intravit, atque ita munus ſuum auſpicatus fuit; b

ſed

(*a*) LETI ſupra citatus Tom. III. pag. 318. ſeqq. ad ann. 1568.

(*b*) Hiſt. narrat. profect. Princ. f. 14.

Tab. XXXVII. ſed & exemplo PHILIPPI II. Hiſp. Regis, lemmate illo uſus fuit: DOMINVS MIHI ADIVTOR; quo ſolo Dei auxilio ſe nixurum eſſe declaravit, hoc, quod videmus in numiſmate. Qua ratione aquila aræ vel ſuggeſto inſiſtens, quo habitu apud antiquos conſecrationis ſymbolum præbebat, huc quadret, ſagacioribus diiudicandum relinquimus. *M. Imp. ar. pond. 2. drach.*

VII.

ALBERTVS. D. *ei* G. *ratia* S *acræ* R. *omanæ* E *ccleſiæ* PR. *esbyter* CARD. *inalis* LEG. *atus* ARCH. *idux* AVSTR *iæ*. Effigies ALBERTI, ut num. præcedenti.

DEO CONSERVATORI. Ara, in qua ſacer ignis ardet: a fronte claſſis ſpecies obſervatur, undis innatantis. *Pietatem* indicat ſymbolum hoc, qua totum ſe cultui Divino ALBERTUS conſecraverit. Eundem porro antequam ISABELLAM duceret, fuiſſe unum ex Purpuratis Eccleſiæ Romanæ, & Archiepiſcopum Toletanum, ſatis & vel ex his nummis conſtat.

Hic ergo cuſus eſt ante annum 1598. quo ſacrum Cardinalis habitum poſuit *Halæ*: &, niſi vehementer fallor, grati animi monimentum fuit, in Numen O. M. quod ipſum in itinere ſuſcepto ex Hiſpania, ad Belgii gubernacula capeſſenda, adverſus omnia tuitum fuerat pericula, & bonis avibus duxerat in Belgium. Ergo nummum anno 1595. aſſignarem
a (a). *M. Imp. ar. pond. 2. drach.*

VIII. Proles Philippi II.

ABLER. *tus* D. *ei* G. *ratia* S. *acræ* R. *omanæ* E. *ccleſiæ* CARD. *inalis* ARCHIDVX. AVSTRI. *æ*. Protome ALBERTI, ut in duobus præcedentibus, niſi quod ſiniſtrorſum verſa ſit, & inferne ſub brachio eius dextro nomen ſcalptoris: MONFORT F. *ecit*, legatur.

In averſa ara rotunda encarpis, & aquila bicipiti, panſis alis & cruribus exornata, in qua ignis accenſus. Eidem a latere dextro ægis MINERVÆ, a ſiniſtro clava HERCULIS, applicatæ ſunt: addita perigraphe: AETERNVS. VTERQ. *ue* TESTIS.

Cum Præfecti munus in Belgio capeſſiviſſet ALBERTUS, Ordines quoque fœderatos eius rei fecit certiores, pace ſimul oblata. Cuius cum provinciæ ſociæ conditiones repudiaſſent, ALBERTUS hoc nummo teſtatum fecit, ſe, invitum licet, arma pro Religione, cuius ara accenſa ſymbolum eſt, ſumere, *Solem* tamen & *Lunam* teſtes ſimul advocat, ſe nihil pro conſequenda pace omiſiſſe. *M. Imp. ar. ſemunc. 2. drach. V. L. p. 461.*

IX.

ALBERTVS. D. *ei* G. *ratia* S. *acræ* R. *omanæ* E. *ccleſiæ* CAR. *dinalis* ARC. *hiepiſcopus* TOL. *etanus* ARCHID. *ux* AVS *triæ*. Effigies Principis, ut num. præcedenti.

In poſtica ichnographica deſignatio trium urbium, adſcriptis earum nominibus: CALES, HVLST, ARDRES. Superius legun-

(a) Vid. lib. num. præcedenti citatum.

PROLES PHILIPPI II.

guntur verba, quibus fere IULIUS CÆSAR, dum incredibili celeritate Ponti regnum expugnaſſet, ad Senatum ſcribens, uſus eſt, ſed ad Chriſtianum ſenſum deflexa: VENI. VIDI. VICIT DEVS. 1596.

Egregia hoc anno virtutis bellicæ Cardinalis edidit ſpecimina, & fortunam Hiſpanicam quaſi reduxit, quæ plane Hiſpanos deſerere viſa fuerat; cum primo *Caletum* vi caperet, illum Gallorum portum opportuniſſimum; porro *Ardras*, parvum quidem, ſed tuendo *Caleto* commodiſſimum oppidum. Hinc adverſus Batavos arma vertens, caſtra ad *Hulſtum*, Flandriæ urbem, movit, quæ *Scaldi* & *Honta* cincta, licet in inſula inacceſſa quaſi ſita eſſet, licet a Præfecto & præſidio validiſſime defenderetur, licet MAURITIUS nihil omitteret, quod ad impediendos Hiſpanorum labores, & urbem iuvandam pertinere poſſet, tamen conſervari a Batavis non potuit, ſed a Præfecto tradita Hiſpanis pacto fuit (a). Quod quidem ALBERTO inſignem peperit gloriam, hoc numiſmate celebratam. *V. L. p.* 466.

X.

ALBERTVS. D.*ei* G.*ratia* ARCHID.*ux* AVST.*riæ* D.*ux* BVR.*gundiæ* BR.*abantiæ* C.*omes* FL.*andriæ* DOMI*N*U*S* FR.*iſiæ*. Protome ALBERTI armata, & inſigni ordinis aurei velleris conſpicua, cum collari pro more eius ætatis, capite nudo, ſiniſtrorſum verſo.

Tab. XXXVII.

ASSIDVITATE. IASON inſiſtens draconi alato, quem clava occidit. Siniſtra manu aureum vellus monſtrat. Eminus apparent duo boves gradientes.

Notus eſt IASON ille *Theſſaliæ* heros, quem PELIAS excitavit ad petendum e *Colchide* aureum arietis vellus, quod ibi per draconem & tauros, æneis pedibus incedentes, flammasque evomentes, in templo cuſtodiebatur; quia Rex AËTAS per oraculum compererat, & ipſi & regno iſtud vellus funeſtum aliquando fore. IASON autem *Argo* navi vectus, comitantibus multis heroibus, feliciter in *Colchidem* pervenit, & ope MEDEÆ, Regis filiæ, amore ipſius captæ, perdomitis tauris, cæſo dracone, vellus aureum abſtulit, patriamque bonis avibus repetiit, contra ſpem ac votum PELIÆ. Ergo ALBERTUS IASONI comparatur, poſtquam ſcilicet Burgundiæ poſſeſſio, quibus ordo velleris aurei inhæret, ipſi per ISABELLAM CLARAM EUGENIAM, Regis Hiſpaniarum filiam, ſicut IASONI ipſum vellus aureum per MEDEAM AËTÆ itidem Regis filiam, obtigerat. Iam enim tum anno 1598. XIII. Iulii habitum Eccleſiaſticum *Halæ* in Divæ Virginis templo depoſuerat, & die XIV. Septembris in Hiſpaniam abiit, ISABELLAM CLARAM EUGENIAM, PHILIPPI II. Reg. Hiſp. filiam ſponſam ducturus (b). LUCK. *p.* 372.

XI.

Nihil hic nummus a priori differt, niſi quod forma ſit paul-

(*a*) KHEVENHÜLLER Annal. *Ferdinand.* Tom. IV. p. 1670. ſeqq.

(*b*) SCHOENLEBEN Proleg. p. 158. LE QUILE p. 375.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Baden-Württemberg